



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Titulus XXVI. De Maledicis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

# TITULUS XXV.

## De Clerico Percussore.

*Quest. 391. An & sub quibus pœnis prohiberetur Clericis percussione Laicum?*

**R**esp. Ad primum: Cuius Clerico, præsertim in maioribus constituto, prohibitum est percussione propriis manibus Laicum, etiam delinquentem, sive fidelem, sive infidelem, ut constat ex claro textu *can. 1. & 7. dist. 45. can. 25. dist. 86. & c. 1. h. t. percussio siquidem repugnat modestiæ Clericali, & mansuetudini Christi, quam imitari debent Clerici, juxta *cit. can. 7.* Excipiuntur Clerici præceptores, moderatores & magistri leviter & moderatè sibi commissos discipulos percussiones, *Arg. can. aut facta. dist. 1. de pœnitent.**

2. Resp. Ad secundum: Pœna Clerici percussoris etiam Laicum imprimis est arbitraria à Judice infligenda pro qualitate & circumstantia percussoris notabilis, & si talis percussor se non emendaverit, sed sapius præsertim ob leviores defectus indignatione & iracundiâ subitanè correptus statim ad verbera proflitre soleat, tanquam inhumanus & ferus, Statuque Clericali indignus, deponi potest ac debet. *Arg. c. 1. h. t. & ibi Gl. & DD. communiter, inde inferentes propter unam etiam notabilem percussione Laici Clericum depositionis pœnam non incurrere, nisi, ut Gl. in c. 1. h. t. & Host. *ibid.* Pirh. *h. t. n. 2.* Arg. *can. fin. dist. 25. & c. 2. h. t. percussio lethalis, vel saltem enormis esset. Reiffenst. h. t. n. 4.**

*Quest. 392. An & qualiter Superioribus ecclesiasticis, tam Sæcularibus, quam Regularibus prohiberetur aut permissum correctionis gratiâ verberibus castigare, seu punire Clericum subditum?*

**R**esp. Episcopi & Superiores Regulares Clericos sibi subditos, existentes quidem in minoribus etiam propter leves defectus; constitutos autem in Ordinibus majoribus seu sacris non nisi propter graves excessus (inter quos Reiffenst. *n. 7.* numerat ebrietatem) verberibus castigare possunt, *can. cum letatus. dist. 45. can. fin. dist. 35. & ibi Gl. communiter recepta. v. corporali.* Non tamen possunt Episcopi propriis manibus facere hanc

correctionem. *Can. non licet. dist. 86.* sed id committere debent alteri, & quidem non nisi Clerico, ita ut, si id committeret Laico, tam ipse committens, quam commissionem exequens Laicus sint excommunicati. *Arg. c. universitatis. de sent. excomm. Barb. *ibid.* n. 2. Navar. *h. t. conf. 42.* Pirh. *h. t. n. 1.* Reiffenst. *n. 7.* nisi consuetudo legitime præscripta alicubi haberet, quod Episcopi per Laicos castigant verberibus Clericos, prout de Gallia testatur Barb. *l. c.* & eandem passim vigere, rationabilemque & in jure fundatam dicunt alii. *Arg. c. Clerici. de sent. excomm.* ubi Superioribus ecclesiasticis permittitur, quod per Laicos violenter capere & carcerare possint subditos Clericos, cum difficile sit reperire Clericos, qui hoc munus capiendi, carcerandi, verberandi subire velint. Atque ita etiam Superiores ecclesiastici Episcopo minores, præsertim Regulares, qui alias propriâ manu verberare deberent subditos suos Regulares, juxta *cit. c. universitates.* possunt ex privilegio summorum Pontificum Alex. VI. & Leon. X. fratribus minoribus concessio etiam extra casum necessitatis Religiosos suos subditos etiam Clericos per alios suos subditos Laicos curare verberari, quo eorum privilegio etiam alias Religiones uti posse, tradit Castrop. *tr. 29. p. 23. §. 3. n. 11.* apud Reiffenst. *h. t. n. 2.* sic etiam posse Clericos Præceptores, & atrium liberalium Magistros, si verbis nihil proficiant, correctionis gratiâ castigare verberibus Clericos suæ curæ commissos citra privilegium, & absque eo, quod propterea incurrant excommunicationem; cum talis percussio non sit violenta, aut facta suadente diabolo. *Arg. c. 1. h. t. & c. 1. & c. cum voluntate. de sent. excomm.* tradunt Abb. *in cit. c. 1. n. 1.* Navar. *in man. c. 27. n. 81.* Suar. *de censur. d. 12. f. 1. n. 40.* Idem est de Sacerdotibus, ex zelo devotionis adolescentes in minoribus Ordinibus constitutos divinum officium turbantes leviter percussiones, *c. veniens. Abb. & Barb. *ibid.* n. 1.* quod, si tamen hi Sacerdotes, aut etiam Prælati in subditi verberatione propriis manibus correctionis gratiâ notabiliter excedant, incidunt in excommunicationem Papæ reservatam. *can. si quis suadente diabolo. juncto c. cum beatus. dist. 45.* & si ex immoderata & incauta percussione etiam disciplinæ causâ sequeretur mors vel mutilatio, contraheretur irregularitas. *c. presbyterum de homicidio. Pirh. h. t. n. 1.**

# TITULUS XXVI.

## De Maledicis.

*Quest. 393. Quid & quotuplex sit maledictum, seu maledictio & maledicus?*

**R**esp. Maledictum seu maledictio, sic dictum à maledicendo vel loquendo, in genere est malè dictum, seu mala locutio de alio, & qui ita malè loquuntur, maledici vocantur; quod quidem loquendo in genere, propriè & congruenter huic titulo fit duplici.

*R. P. Leurr. Jur. Can. Lib. V.*

citer ratione objecti, nimirum vel malum de proximo enuntiando, v. g. quod sit fur, adulter, vel bonum seu qualitatem ei competentem inficiando, v. g. ingenuitatem, nobilitatem; & utrumque iterum fit dupliciter, nempe vel absente, vel præsentè eo, de quo malum dicitur. Unde maledictum trifariam dividitur in detractionem, quâ quis absentis famam denigrat & diminuit; in calumniam, quâ quis præsentè seu in faciem alicui malum objicit, quod etiam, si falsum sit, convitium in illum jacere dicitur.

Ec 2

dicitur, & si de Deo aut Sanctis dicitur, est blasphemia. Huc etiam referuntur, quæ per modum optantis & imprecantis contra alios dicuntur.

*Quest. 394. Quenam sint pœnæ maledicti, prout comprehendit detractio nem & calumniam, in privatum commissi?*

**R** Esp. Præterquam quod ex genere suo sit peccatum mortale, ejusque reus in foro interno ad famæ & æstimationis læsæ reparationem obligetur, in foro externo obnoxius est actioni injuriarum, *L. item. §. 27. ff. & L. qui liberos. c. de injuris. & consequenter pœnæ arbitrariæ.* Illud tamen hic notandum, quod in proximum (intelligendum videtur etiam privatum) maledicus Clericus, maximè Sacerdos, olim ad injuriæ illatæ veniam postulandam compellendus fuerit, & si reuocet, degradandus, id est, suspendendus, neque ante præstitam satisfactionem ad officium ecclesiasticum unquam revocandus, ut sumitur ex *can. Clericus. dist. 86.* juncta *Gl. v. revertetur.*

*Quest. 395. Quæ pœna maledicentis Imperatori seu Principi seculari?*

**R** Esp. Maledicere Principi seculari, quod lege divinâ prohibuitur *Exod. 22. v. 28. Proverb. c. 20. v. 2. ad Titum c. 3. v. 1.* & quo olim cenfebatur quis reus criminis læsæ Majestatis, teste *Arnob. Lib. de gentibus.* postmodum Christiani Imperatores non faciliè ultimo supplicio puniendum statuerunt. *Mench. de arb. cas. 377. n. 9. Brunnem. ad L. unic. c. si quis Imperat. maledixerit. n. 1.* ubi *Theodos. Arcad. Honor.* de maledicto in se effuso inquit, *si istud ex levitate processit, contemnendum est: si ex insania, commiseratione dignissimum: si ab incuria id est, condonandum: nisi maledictum fieret in ipsum officium Principis; tunc enim puniri debet, & quidem graviter, ut pœna illius aliis terrorem incuriat.* *Arg. c. 1. h. t.* idem est, si maledicta continerent verba spectantia ad leditionem aut acclamationes turbulentas, quibus salus Principis aut status adduceretur in discrimen, aut alia justa ratio, aut exempli necessitas scelus puniri exigeret; tunc enim causam ad Principem remittendam, qui an & quæ pœnâ maledicti crimen puniendum sit, cognoscat, tradunt cum *Gl. in cit. c. unic. v. remittendum.* *Mench. & Brunnem. l. c. n. 7.* Quin etiam maledicens personæ Principis Supremi non recognoscentis Superiorem, ex proposito, & per incuriam jaciens in illum verbum contumeliosum, seu conviciosum, plectendus est pro arbitrio ipsius Principis, juxta *cit. c. unic. c. si quis Imperat. maledix.* Et quidem gravi pœnâ *Pirh. h. t. n. 6.* talis enim Princeps potest vindicare injurias proprias. *Arg. cit. c. 1. h. t.* ex ea etiam ratione, quia nemo tenetur, satisfactionem injuriæ remittere, etsi possit, & laudabiliter ageret remittendo eam illatam suæ personæ, juxta *c. olim. de injur. c. gravis. de restit. spol. Pirh. num. 3. in fine.* cum *Abb.* non tamen injuriæ illatæ suæ dignitati. *cit. c. 1.*

*Quest. 396. Quæ pœna maledicentis Papæ, Episcopo, aut alteri Prælato ecclesiastico aut Sacerdoti?*

**R** Esp. Primò: Pœna maledicti in summi Pontificis personam jactata est quoque de jure communi arbitraria pro qualitate delicti, etsi conveniens sit, Papam Christi in terra Vicarium

imitari illius mansuetudinem, remittendo talem injuriam. *Arg. Can. inter querelas. 23. q. 4. L. 10. C. de Episc. & Cler.* si enim Principes sæculares personæ suæ maledicentibus ignoscunt, multò magis congruit Pontificem in hac mansuetudine exemplo iis præire, uti fecit *Pius V.* cujus meminit *Barb. in c. 1. h. t. n. 2.* aliique *AA.* passim, si tamen maledictum jactatum contra ipsam sedem Apostolicam, seu dignitatem Pontificiam, seu officium & primum illius, pœna, & quidem gravior atque exemplaris necessitatè imponi debet, juxta *c. 1. h. t. & ibi DD.* communiter.

**2.** Resp. Secundò: Quamvis Episcopus aliquem ob maledictum illatum soli personæ suæ ipsemet punire non possit, ut *Gl.* communiter recepta in *can. inter querelas.* tum quia nullus Superiorem habens potest esse Judex in propria causa, tum quia mansuetudo & sanctitas Episcopi requirit, ut injurias suæ personæ illatas remittat. *Arg. cit. L. 10. c. de Episc. & Cler.* alterius tamen Judicis sæcularis arbitrio puniendus est, idque, etiamsi ab Episcopo desuper accusatus non sit. *Hofst. in Sum. h. t. §. alii maledicunt. Fatin. pr. crim. q. 108. n. 402.* cum generaliter loquendo ex officio tales Judices punire debeant quemlibet, qui aliquam injuriam infert locis, aut personis factis, uti expressè statuitur *cit. L. 10.*

**3.** Resp. Terriò: Religiosi aliquem Ecclesiæ Prælatum maledicto offendentes, aut eidem detrahentes jure communi per duos menses subjacere debent istis pœnis, quæ juxta regulas & statuta eorum ob gravia crimina imponuntur; juxta textum expressum. *Clem. 1. §. quibus etiam de privileg.* præterquam dispositionem juris communis per specialia Statuta suorum Ordinum gravissimè puniuntur, quales pœnas statutas in suo ordine strictioris observantia iis, qui malè loquuntur de summo Pontifice, Cardinalibus, Episcopis, aliisque Ecclesiæ Prælati, nec non sui Ordinis Superioribus refert *Reiffenst. h. t. num. 14.*

*Quest. 397. Quid & quotuplex sit blasphemia?*

**R** Esp. Ad primum: Blasphemia est mala seu contumeliosa locutio in Deum, sicut potissimum dupliciter, nimirum dum negatur DEO, quod ei competit, ut dum dicitur, non esse omnipotens, non habere providentiam rerum humanarum; vel asseritur quid ei non conveniens, v. g. quod sit crudelis, injustus. *D. Thom. 2. 2. q. 13. a. 1. Sylv. v. blasphemia. q. 1. Farin. l. c. q. 20. n. 11. Pirh. h. t. n. 7.* Ad hæc duo reducuntur sequentia; dum quis creaturæ tribueret, quod soli DEO competit, dicendo, v. g. diabolum æque ac Deum cognoscere secreta cordium, & futura contingentia. *Sylv. l. c. n. 3. Pirh. l. c.* dum quis detestatur Deum, imprecando illi, seu optando malum, v. g. ut hominum peccata nesciat, vel non punire possit; quia talia in Deum cadere non possunt; sic omnis maledictio, contumelia, convitium in Deum prolatum est blasphemia; quia sic derogatur Divinæ Majestati & Excellentia, honorque divinus diminuitur. *Fatin. n. 3. Pirh. l. c. Haunold. Tom. 6. de 7. & 7. r. 2. n. 141.* Maledictiones quoque, seu convitia jactata in sanctos dicuntur blasphemia, quatenus saltem ex consequenti & indirectè redundant in DEUM, qui sicut in Sanctis suis laudatur & honoratur, ita etiam in illis vituperatur & contemnitur. *Covar. in c. quamvis. de pactis. p. 2. releet. §. 7. num. 8. Clarus v. blasphemia. num. 1. Haunold.*

Hauhold. *l. c. num. 140.* Pirh. *l. c.* & alii communiter. De cætero

2. Resp. Ad Secundum: Blasphemia præcipue dividitur in hæreticam, dum nimirum aliquid articulis fidei contrarium de Deo asseritur vel negatur, v. g. dicendo Deum esse mendacem, non esse omnipotentem; Et in non-hæreticam, dum non pronunciat quid de Deo articulis fidei contrarium, sed quid per modum imprecationis & desestationis in illum jacitur, v. g. imprecando vel optando, ut non esset.

*Quest. 398. Quenam sit pœna blasphemix de jure divino?*

1. Resp. Primò: Olim in lege veteri, *Leuitici c. 24. v. 16.* jubebantur affici morte & ab omni populi multitudine lapidibus obrui.

2. Resp. Secundò: Jure Canonico veteri Clerici blasphemantis pœna est depositio ab officio & statu Clericali. *can. si quis. 22. q. 1.* quæ tamen pœna depositionis solum locum habet in Clericis incorrigibilibus & consuetudinem blasphemandi habentibus, nisi fortè tam gravis foret unica blasphemia, ut maximam divinæ Majestati inferat injuriam. *Covar. l. c. num. 10. Diaz. in præf. crim. canon. v. blasphemia, c. 114. num. 2.* Laicorum verò blasphemorum pœna est excommunicatio ferenda, *cod. can. si quis.* Postmodum verò iis pœnitentia publica & multa pecuniaria decreta. *c. fin. h. t.* circa quam pœnitentiam publicam notanda sequentia: Primò eam non imponi nisi publicè blasphemanti; delicta enim occulta publicè vindicanda non sunt, *can. ult. 32. q. 5.* Dicitur autem publicè blasphemare non solum in judicio desuper convictus & condemnatus, & qui in publica platea vel foro blasphemat, sed etiam qui in domo vel loco privato, multis tamen presentibus & audientibus, & ad Episcopum deferentibus, modò blasphemans, si neget per idoneos testes convincatur. *Pirh. h. t. num. 9.* cum *Hofst. hic v. publicè.* Secundò: hanc pœnitentiam non imponi Clerico publicè blasphemanti, quia Clericus non agit pœnitentiam publicam, cum eam agentes ad Ordines promoveri non debeant. *c. ex pœnitentib. dist. 50. c. 1. de bigam. sed puniendus pœnâ arbitrariâ.* *Hofst. hic. n. 4. Abb. n. 2.* Tertiò: Blasphemus privatur ingressu Ecclesiæ, donec egerit pœnitentiam, & si nolit agere pœnitentiam dictam, privatur sepulturâ ecclesiasticâ. *Abb. in cu. c. ult. n. 3.* Quartò: Ab hac pœnitentia publica absolvi potest solum Papa; ab occulta verò & privata, quam imponere potest sacerdos proprius, idem absolvi potest. *Abb. & Hofst. l. c. num. 9.* Notandum denique, quòd in calore iracundiæ vel etiam ebrietate blasphemans publicè, non incurrit pœnam ordinariam, sed puniendus arbitrio judicis. *Clarus v. blasphemia, num. 6. Menoch. de arb. cas. 375. num. 33. Farin. pr. Crim. l. 1. tit. 3. q. 20. num. 47. Pirh. h. t. n. 11.* Ac demum in eodem Laicos & Clericos blasphemos amissio emolumentorum aut fructuum ex officio temporali vel beneficio ecclesiastico, horumque privatio & ad obtinenda illa inhabilitas, amissio dignitatis, infamis statio ante fores Ecclesiæ, fustigatio, triremes aliæque pœnæ pecuniariæ & corporales pro delicti & personarum delinquentium aliarumque circumstantiarum varietate ipso facto incurrendæ aut per sententiam infligendæ statuta sunt per sequentes Pontifices, Leonem X. in bulla incipiente: *Superne dispensationis 7. hujus Pontificis Tom. 1. Bullarij Julium III. in multis. 23. illius. Pium V.*

*cum primum. 5. illius. Tom. 2. Bullarij.* quarum Constitutionum tenores per extensum legi quoque possunt, quibus non est copia Bullarum Cherubini apud Reiffenst. *h. t. num. 18.* Quæ tamen, quia usu ferè, aut saltem in omnibus non receptæ in punitione blasphemorum consuetudines & statuta locorum observanda monet *Castrop. tr. 17. d. 2. p. 2. §. 5. num. 1.*

*Quest. 399. Quenam pœna blasphemix de jure civili?*

Resp. Est pœna mortis ad exemplum legis divinæ in veteri lege. *Novell. 77.* quam etiam Carol. V. in *constit. crim. à 106.* statuit pro blasphemia gravi, præsertim in Deum, pro leviori tamen in sanctos mutilationem linguæ, fustigationem, carcerationem, multam pecuniariam, aliamve arbitrariam pro circumstantiarum & delinquentium diversitate. Quæ pœna capitalis potissimum locum habet, si quis ex consuetudine blasphemet, & incorrigibilis sit in hoc vitio, ut ait *Pirh. n. 12.* quamvis hodie harum constitutionum rigor fere ubique in desuetudinem abierit, ut *Covar. l. c. §. 7. num. 10. in fine. Clarus v. blasphemia. num. 3.* ubi monet, Principes Christianos peccare graviter, si hoc crimen non puniant severissimè; cum hoc crimen ob consuetudinem vigentem in aliqua provincia, quæ potiùs abusus & gravis corruptela est, impunitum relinqui non debeat, vel ex eo capite, quia est contra legem naturalem, divinam & humanam, ut *Covar. l. c. num. 13.* quamvis tamen etiam hodie pœna arbitraria imponatur blasphemix, & si enormis est, etiam pœna mortis ei imponi possit ac debeat. *Clar. cit. n. 3. Menoch. l. c. num. 3. Farin. cit. q. 20. num. 66. & 67. Pirh. l. c.* ut annorum Superiorum exempla docuisse in Bavaria testatur *Hauhold, Tom. 6. tract. 2. n. 153.* Ad hæc blasphemus repellendus est à testimonio ferendo in iis causis, in quibus requiruntur testes omni exceptione majores, modò fuerit saltem semel etiam pecuniâ à Judice multatus & condemnatus, eò quòd licet blasphemus non sit ipso jure infamis, sit tamen infamis saltem infamiæ facti, postquam à Judice de blasphemia condemnatus, adeoque jam effectus testis minus idoneus. *Arg. c. licet. de probat. ita Covar. l. c. n. 12. Pirh. num. 13.* Quod tamen in praxi non servari dicit *Clarus, l. c. num. 4.*

*Quest. 400. Quis sit Judex competens in crimine blasphemix?*

1. Resp. Primò: Dum blasphemia est hæreticalis, Judex illius competens est solus ecclesiasticus, cum juxta quod dici & probari solet *tit. de hæretic. & tenent Farin. l. c. num. 39. Barb. de Off. Episc. alleg. 51. num. 93. Reiffenst. h. t. num. 27.* & alii passim, quòd in causa hæresis solus ecclesiasticus sit Judex competens; limitat tamen hoc ipsum *Reiffenst. h. t. num. 29.* ita ut vigente consuetudine contrariâ (ut eam in partibus Germaniæ vigere testatur) Judices Sæculares etiam blasphemiam hæreticalem cognoscant ac puniant, adjectâ etiam hujus ratione, quia nimirum illæ hæreticales blasphemix ordinariè potiùs ex mente blasphemæ, quam hæreticali & errore intellectus procedunt.

2. Resp. Secundò: Blasphemia non-hæreticalis, sed simplex in Deum & Sanctos est mixti fori, adeoque de ea cognoscere potest non solum Judex Sæcularis, sed etiam ecclesiasticus, & punire, etiam Laicum alioquin non subditum sibi in temporalibus

bus, & est inter eos locus præventioni, ita tamen ut punitio ab uno Judice facta in suo foro impedire non possit, quo minus alter in suo foro quoque eundem puniat. Abb. *in c. fin. h. t. num. 9.* Sanch. *L. 2. mor. c. 32. num. 37.* Farin. *l. c. q. 30. n. 39.* Barb. *l. c. & quòd, si Judex Sæcularis negligens sit in puniendis blasphemis, possit ad id compelli*

à Judice ecclesiastico juxta *c. 2. h. t.* potestque etiam Judex ecclesiasticus per se non punire Judæum blasphemum, si Judex Sæcularis in hoc negligens esset, vel etiam si Judæus esset sub temporali jurisdictione Judicis ecclesiastici, aliàs non, Farin. *l. c. n. 40. q. 41.* Pirh. *n. 14.*

## TITULUS XXVII.

### De Clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante.

*Quest. 401. Clerici censurati violantes censuram quâ pœnâ afficiuntur?*

**R** Esp. Primò: Clericus degradatus verbaliter, hoc est, perpetuò remotus ab ordinibus & gradibus ecclesiasticis propter crimen, si actum Ordinis aut officii, à quo depositus, exerceat, vel in eo ministret, est ab Ecclesia abscondendus, prout statuitur *c. 1. h. t.* id est, excommunicandus, seu à communione fidelium & participatione Sacramentorum separandus, ut Host. *in cit. c. 1. v. abscondatur.* Abb. *ibid. num. 1. & 2.* Pirh. *h. t. num. 1.* & licet *cit. c. 1.* non fiat mentio, nisi de Episcopo, Presbytero, Diacono, extendit se tamen hæc pœna ad Clericos constitutos in Ordinibus minoribus juxta *c. 2. h. t.* & Arg. *c. cum non ab homine. de judic.* Host. & Abb. *l. cit.* cum Gl. *in idem. c. 1. v. Diaconus.* Item extenditur ad injuste depositos, nisi priùs restituti sint. *c. Episcopus. 11. q. 3.* Secus tamen esset, si dicta sententia degradatis lata fuisset contra ordinem juris, cum tunc sit nulla. *can. si quis. 2. q. 6. v. 1. de sent. & re judic.* Gl. *ad cit. c. 1. v. juste.* Host. *ibid.* Pirh. *h. t. num. 2.* Requiritur tamen, ut præcedat monitio; juxta *c. sacro. de sent. excomm.* Alexander ad Abb. *l. cit. lit. B. Pirh. num. 1.*

2. Resp. Secundò: Multò magis Clericus degradatus actualiter & solemniter, hoc est, ab Episcopo junctis sibi aliis sex Episcopis vel suspensus ab officio perpetuò, si ab Episcopo in actu sibi prohibito ministrare non desistat, excommunicatur ipso jure, uti & alii cum eo communicantes, etsi excommunicatione minore *c. cum excommunicato. caus. 11. q. 3.* & ibi Gl. *v. statim,* & si non destiterint communicare cum eo, etiam excommunicatione majore. *c. cum in dubiis.* & *c. ult. h. t.* junctâ Gl. *observandum.* & si hæc contemplerit, & Episcopus eum corrigere non potuerit, invocandum est brachium sæculare. *c. 1. de Off. Jud. ordinari. c. nec licet. dist. 14.* utraque enim potestas ecclesiastica & Sæcularis se invicem adjuvare debent *c. 2. de maledictis.* & si Magistratus Sæcularis requisitus adjuvare noluerit, ad id compelli potest, Gl. *in fin. ibid.* & Host. *v. quod si aliquis.*

3. Resp. Tertiò: Clerici excommunicati, vel suspensi, vel indirecti divina officia celebrantis est depositio perpetua ab officio & beneficio, non quidem ipso jure inflictâ, sed per sententiam Judicis inferenda. *c. Clerici. h. t.* & ibi Host. Anchoran. Barb. & alii. Et quamvis textus hujus *c.* loquatur de solis excommunicatis & interdictis, extendendum tamen etiam ad suspensos ab officio cum Gl. communiter recepta *in cit. c. Clerici moniti.* tradunt Pirh. *num. 4.* Reiffenst. *num. 2.* & alii,

potestque Episcopus iis hanc pœnam statim infligere absque ulla monitione prævia, ut cum *cit. Gl. Abb. num. 2.* his non obstante, quòd in *cit. c. Clerici* dicitur: *Nisi moniti sine dilatione redierint;* cum per hoc aliud non indicetur, quàm quòd Episcopus possit, si velit, prius monere reum, & si is statim se emendet, ei pœnam depositionis dispensativè remittere, adeòque non necessariò præmittenda monitio. Abb. *l. c.* Pirh. *h. t. num. 5.* Reiffenst. *num. 3.* Porò circa hanc pœnam depositionis notandum, quòd, si plures essent in civitate aliqua Clerici propter earundem censurarum violationem excommunicati, suspensi, interdicti Sacerdotes, qui quasi factâ conjuratione innodati illis censuris celebrassent divina, mitiùs agendum, parcendùmque multitudini propter scandalum aliamve causam, ita ut, licet principales hujus delicti authores pœnâ ordinariâ, nempe depositionis, sint plectendi, & reliquis imponenda pœna mitior, ne, si omnes rei in perpetuum deponerentur, Ecclesia nimiam penuriam cum damno populi habeat, prout sumitur ex *cit. c. Clerici.* ubi licet quòd multitudo extendatur ad 40. pauciores tamen arbitrio prudentis, v. g. 30. in tota diocesi sufficiant, Host. *l. c.* Glossator, Abb. Alexander de Nevo. *in cit. c. Clerici. lit. C.* Notandum item, quòd licet suspensus perpetuò ab officio sit etiam suspensus à beneficio, cum, qui non potest facere officium, non debeat percipere beneficium. *c. pastoralis. de appell. in fin. Gl. in cit. c. Clerici. v. ab officio.* & Host. *ibidem.* non tamen suspensus ab officio, semper sit suspensus à beneficio, nisi sit suspensio perpetua, & ob grave delictum; secus, si sit ad tempus, vel etiam simpliciter facta sine præfinitione temporis, aut ob leve delictum, Sanch. *L. 3. de matrim. d. 41. num. 13.* Barb. *l. c. num. 3.* Pirh. *h. t. num. 7. in fin.* qui proinde cum Alex. ait, tutius esse, ut in hoc puncto petatur declaratio Judicis.

4. Resp. Quartò: Insuper præsumentes celebrare divina officia in excommunicatione incurunt privationem beneficiorum ipso facto à *Canone c. fraternitati. h. t.* ita ut Episcopus solam executionem juris facere debeat. Barb. *in cit. fraternitati,* post Tiraquell. *in L. si unquam. C. de revocand. donat. v. teneantur. num. 167.* eò quòd talis Clericus ipso jure sit irregularis, de quo mox, adeòque inhabilis ad obeunda munera beneficii, meritò privetur beneficiis.

5. Resp. Quintò: Excommunicatus, suspensus, interdictus actum Ordinis exercens est irregularis ipso jure, ut de suspensio constat ex *c. Apostolica. h. t. c. 1. §. fin. de sent. & re judic. in 6. c. 1. §. fin. de sent. excomm. in 6. de interdicto. c. is. cui. eod. in 6. de excommunicatione. can. si quis Episcopus. 11. q. 3. juncto c. penult. & ult. h. t.* Requiritur autem